1635 -

Syn. 6. 63 14.

CVIQVE SVVM.

ΑΝΤΩΔΗ
CONTRA *CATHARI* CANTILENAM

Meum meum: } Non { Meum tuum:
Tuum meum: } Non { Tuum tuum.

¶ ARGUMENTUM.

Philoxeno Eugènii *filio domum ac mensam peregrinis pauperibúsq; apertam prebente, hospes irruit* Catharus *loquax, audax, edax. Iste in mensa supercilioso philosophatur: omnia hospitis bona addicit sibi. Se ac sua defendit* Philoxenus. *Tandem, arbitro cane* Hylactore, Catharus *abigitur.*

CATHARUS. PHILOXENUS.

CAT. PArcite mortales alienam invadere sortem;
Dona Dei vetitâ neç temerate manu.

56...965

PHI. Quid mea convivis prohibes opſonia? Panem
Quid me, mire hoſpes, non ſinis eſſe meum?
Interea totas celer abſorbere placentas,
Quæ prohibes aliis, fortiter ipſe voras.

CAT. Quem frangis panem, non eſt tuus, improbe. PH. Quidni?
E fundo, è furno prodiit iſte meo.

CAT. Non tuus hic fundus, non eſt tuus, improbe, furnus.

PHI. Jure mihi teneo, quæ modò patris erant.

CAT. Jure tuum nihil eſt. PH. Cur? CAT. Non es ſanctificatus.

PHI. Quî nôſti? CATH. *Nobis nota profunda Dei.*

1. Cor. 2. 10. Verſ. 15. *Spiritualis enim dijudicat omnia.* Tu, vah,

Phil. 3. 19. Tu terrenus homo es; *terrea ſola ſapis.*

PHI. Si ſim terrenus, mea ſors terreſtria ſunto.

Pſal. 115. 16. *Terram dedit filiis hominum.* Humanis quidni jure fruatur homo?
Naturæ Dominus (qui *ſolis lumen, & imbres*)
Matth. 5. 45. Dat, quæ Naturæ lege tenentur, opes.
Hæc bona poſſideo peritura *Philoxenus*, hæres
Ut patris *Eugenii*, non patris ingeniti:
Non quà ſum mundus, ſed quà Mundi incola. Rebus
Mundanis ſtatuunt civica jura modum.
Si, qualem *Catharus* me judicat, improbus eſſem,
Non tamen indè minus juris ad iſta mihi.

CAT. Eſto: jus verum det lex humana forenſe.
Hoc tale eſt coram vera tuente Deo.

PHI. Immo

PHI. Immo quod verè tale eſt, ſit tale neceſſe eſt
Coram, Enti Verum conſociante, Deo.
Ergò quod abſque dolo ſententia judicis æqua
Dat mihi jure Fori, vendico jure Poli.
CAT. Non tuus hic panis, non, quem geris, improbe, pannus.
PHI. Si neuter meus eſt, cujus? CAT. Uterque meus.
PHI. Quis tibi donavit, bone vir? Quis vendidit? CAT. Ille,
Qui Sanctis dederat ſe, dedit iſta mihi. Rom. 8, 32.
Sanctus ego in primis: Sanctum vicinia clamat:
Sanctum Sancta cohors. Me ſcio Sanctus ego.
Ergò noſtrorum latro, raptórque bonorum,
Surge, fuge: hanc menſam defere. Menſa mea eſt.
PHI. Inſanum hoc Ergò raptorum eſt, atque latronum.
Sancte latro, nobis non placet Ergò tuum.
CAT. *Adam* perdiderat. *Chriſtus*, quod perdidit *Adam*,
Reddit *iis*, quotquot liberat alma fides.
En, ego ſum *Chriſti*. Noſtri ſub ſorte peculi
Indè creaturas annumerare licet.
PHI. Jacturam ponis nullâ ratione probatam.
Dogma probabilius denegat iſta. Vide.
Perdideras, primæve Pater, cœleſtia. Porrò
Terrea cuncta ſimul perdere jura leve eſt.
Haud tamen amittis; non quòd meruiſſe negeris,
Sed quia pars pœnæ non erat illa tuæ.

Quiſnam hoc inflixit, quænam ſententia legis
Fixit, ut à lapſu nil tibi ſit proprium?
Eva tibi conjux num deſiit eſſe marito?
Gen.3.16. Immo degeneri ſubdita facta magis.
Num primam tugurî congeſtam ceſpite molem
Non poteras propriam dicere jure domum?
Sola mihi rutilo paradiſus clauditur enſe:
Undique terrarum cætera ubique patent.
Dic, Pater, hoc cujum pecus? Illud cujus aratrum?
Sunt *Abelis* oves, arvaque *Cainus* habet.
Nunquid *Cainus* habet? *Paſtoris* ut agnus ad aram,
Non minùs *Agricolæ* eſt, quam dicat ipſe, ſeges.
Sæpe docens natos, haud illi interminor unquam,
(Propria danda Deo) Nil dato *Caine* Deo.
Quid moror? Haud opus eſt, quæ nunquam ablata, reponi.
Hæc, *Cathare*, aut ſtatuas firmiùs, aut fileas.
CAT. *Omnia noſtra* quidem: certè ſunt *omnia noſtra*.
1.Cor.3.22. Πάντα ὑμῶν. Omnia concedens excipit indè nihil.
PHI. Omnia Sanctorum, ſed ſpiritualia. Currunt
Sic intra ſphæram quæque operoſa ſuam.
Cœleſtis diploma fori cœleſte. Nec unquam
Jus ad opes ullum ſpirituale datur.
Tantùm civilis rebus civilibus apta eſt
Proprietas. Nil hîc gratia dotis habet.

CAT. At

CAT. At pietas, pietas pulcherrima filia Cœli,
Dote nitet duplici, *dives utrâque manu.* Prov. 3. 16.
Dextra tenet Cœlum, quicquid terreſtre ſiniſtra.
Illa mihi plena eſt: Iſta quid orba vacet?
Ergò boves, ſegetem, violaria, paſcua, nummos,
Nĕ pius unimanus langueat, adde pio.
Præſentis vitæ, vitæ promiſſa futuræ 1. Tim. 4. 8. ἐπαγγελίαν ἔχουσα τῆς νῦν ζωῆς.
Non ſunt *Eugenio* facta, ſed *Euſebio.*
PHI. Ergóne, ni fiat tua, quæ mihi portio ceſſit,
Promiſſi alterius fit Deus ipſe reus?
Omnia ſi præſtet, ſanctis quæ affingitis, eſſet
Nullus inops Sanctus, nullibi Sanctus inops.
Quòd ſi non præſtet, promiſſio caſſa peribit.
En quali nodo téve, Deúmve ligas!
CAT. Semper rem confert, ſolidum jus quatenus ad rem.
Ergò malè uſurpant, qui retinendo negant.
PHI. Rem quibus haud tradit, nec jus diplomate ſignat.
Id, quod habes, donat: quod tibi donat, habes.
Heu ſterile eſt ſemen, quod non pubeſcit in herbam.
Herba tua eſt tantùm, quam tuus edit ager.
Hic ſi fertilior, Domini clementia ſummi, Deut. 28. 4.
Ut tibi, quæ tua ſunt, ſint benedicta, facit. Pſal. 128. 2.
Indè datis bonus uſus adeſt, ſua gloria danti, 1. Cor. 10. 31.
Cum prece, cum grati pectoris officio. 1. Tim. 4. 5.

CAT. *Haud ego te linquam* ſterilis promiſſio fiet?
Heb.13.5. οὐ μή σε ἐγκαταλίπω. Ejus in externis meſſis habenda bonis.
PHI. Fertile promiſſum eſt ubi res pauperrima. Nunquam
Deſerit ille ſuos, qui parat apta ſuis.
Deſertor non eſt, patrii eſt adſertor amoris,
Si, bona fluxa negans, det mala fluxa pati.
Rom.5.3. ὑπομονήν. Inſtar opum ditat patientia, ſpernere mundum,
Pauperiémque piis reddere docta levem.
1.Tim.6.6. *Grande lucrum pietas*, ſat plena μετ' αὐταρκείας.
Haud ea terrigenis mentibus alta quies.
Ad bona non hinc jus aliena, ſed ardua virtus,
Heb.13.5. ἀρκούμενοι τοῖς παροῦσιν. Quæ, *contenta ſuis*, haud aliena cupit.
CAT. Vos autem impietas, uſûſque inſcitia recti
Mulctavit veſtris (ſi modò veſtra) bonis.
Rom.11.9. *Menſa tibi laqueus*, Genii eſt gula ſerva maligni:
Delingit patinas turba profana tuas.
Ergò mea hæc menſa eſt. Nos menſâ novimus uti:
Indulgèt Genio noſtra caterva ſacro.
PHI. Quàm ſacer hic Genius ſit neſcio. Novimus omnes
Quàm ſit, cuncta rapit quæ ſibi, ſacra fames.
Impietas ſummas ſub vindice Numine pœnas
Commeruit: quam mors, orcus, & ira manent.
At non hanc poſuit Deus hoc in crimine mulctam,
Quiſque ſtatim ut fluxis excidat indè bonis.

Par

Par ratio eſt ubi dona Dei deturpat abuſus;
Non tamen è manibus fructus, & uſus abit.

CAT. O dolor! O labes! Quæ natis eſca paratur,
Impuri panem præripuêre canes. Matth. 15. 26.
Hæc tua non tua ſunt. Da: (non indebita poſco)
Non da: trade, Deus quæ priùs ipſe dedit.
Ergò pecus, famulos, fundúmque, domúmque relinque:
Sed mihi. Sic juſto cuncta fruentur hero.

PHI. O ſcelus! O rabies! Exi ſanctiſſime prædo.
Ni fugias, hinc te qui fuget, alter adeſt.
Eſſe meam menſam, atque domum bene novit *Hylactor*:
Nil horum eſſe tuum dente docebit. Abi.

CAT. Te mihi jure poli proclamo & *Hylactora* ſervos.
Adamum obſequiis quæque colunto ſuis. Gen. 2. 19.

PHI. Scilicet iſte canis tuus eſt, ut cætera. Dicat:
Adlambat ſanctos, te dominante, pedes.
Ecce autem oblatrat: diductis naribus hirrit:
Nec timet *Adami* numen herile novi.

CAT. Ipſe magis canis es, ſcelerate *Philoxene*. Certum eſt
Haud tibi cœleſtes poſſe patere fores. Apoc. 22. 15. ἔξω οἱ κύνες.

PHI. Hem, tibi noſtra patent abituro limina. De me
Non tu, ſed Dominus viderit ipſe. Vale. Rom. 14. 4.

CANTABRIGIÆ:
Ex celeberrimæ Academiæ Typographeo.
ANN. DOM. 1635.